

diffima, ponderosa, vltima grauitate, muta in sonoritate, & omnino eadem virtute medicinalia, sicut verum & purissimum ac preciosissimum aurum. Et hæc forma inter omnes formas mundi, nõ solum est qualitas, sed etiã quantitas, quia corpulenta est. Propter hoc dicitur Theriaca, Toxicum & venenum philosophorum: eo quia subito coagulat & fixat, suum argentum viuum quasi interimendo, ac perficit ipsum in tinctura, & Elixir aliorum metallorum. Et hoc intelligitur de sulphure Auri, quod non additur ab extrinseco, sed extrahitur ingeniose, & quasi miraculose per regimen debitum artis, de argento viuo, cum quo simul per sublimationem mundatur: quia secundum Geberum, sulphur tingens est solum notum naturæ: & tamen dicitur additamentum tingentis. De hoc veneno dicit Mundus in Turba: Cũ hoc venenum corpus penetrat, inuariabili colore ipsum colorat, & nunquam dimittit corpus animam: quia non possunt ultra separari. Collige autem quod hic lapis philosophorum habet excellētissimas virtutes super omnes alios lapides, vt inquit Alphi. Est autem in speciali triplex eius virtus immensa. Prima quidem, quia Mercurium crudum in igne positum, & quælibet alia metalla subito in verissimũ solem meliorem omni naturali conuertit: vt dicit Rosarius & Morienus in translatione noua. Istud quoque est huius magisterij secretum, quod huius rei vna pars, mille partes in purissimum Echeb conuertit. Secunda quod homines in suauitate & iuuentute conseruat, repellendo ab eis cunctos languores. Tandem quod lepram depellit, caducum morbum, & alias multas fere incurabiles infirmitates mulcet, ac etiam remouet. Et hæc omnia operatur plus quam omnes medicorum medicinæ, vel potiones, vel confectiones quæcunque. Preseruat etiã & protegit hæc medicina in confectionibus apposita, ne quis morbus eidem aduenire in futurum possit, vt dicit Lilius. Sicque fit antidotum & medicina omnium corporum curadorum & purgandorum, tam metallicorum quam humanorum. Rosarius quoque multa specificat, dicens: Conseruat sanitatem, & roborat virtutem, reparat iuuentutem, purgat spiritualia, purgat pulmonem, venena cuncta expellit, morbos tollit, leprosos in vino bibita, paulatim curat.

Tertia, quia multa mirabilia cum ea fiunt in alijs rebus.

Lilius

*Theriaca, Toxicos  
venenum in philo-  
sophorum.*

*Triples virtutes  
lapidis.*

1.

2.

3.